



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-401024-p0001-5

DFG

8828

1770, 18.


QVAESTIO
IVRIS CONTROVERSI
AN
DONATIO
REMUNERATORIA ULTRA D. SOLIDOS INSINVANDA SIT

QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
PRAESIDE
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESSOR. PUBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG.
SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO
DIE XXI. SEPTEMBR. ANNO CICICCLXX.

DEFENDET
ALBERTVS GVILHELMVS AVG. BECKER
ROSLA THVRING.

LIPSIAE
LITERIS RVM PFIIS.





AN

DONATIO
REMUNERATORIA ULTRA D. SOLIDOS
INSINVANDA SIT.



§. I.

Cum in liberalitate conferenda causa non requiratur, donatio vera erit, si quid in alterum confertur ex liberalitate nullo iure cogente, seu nulla causa requirentre in liberalitatem. Perinde ergo erit, an liberalem animum per dationem quis alteri exhibuerit, cum causam habuerit suae liberalitatis, an vero causa aliqua defuerit suae dationis. Quod vero interdum contingat, vt quis donet alteri, motus aliqua causa, interdum vero ex liberali tantum animi affectu; hinc Dd. aliam donationem simplicem, aliam remuneratoriam dixerunt. Non inquiram, an haec diuisio absoluta sit, posset magis probari, plures



species donationum fore, quae ad remuneratorias proprie referri nequeunt, neque tamen ad simplices referantur. Sed de sola remuneratoria nobis agendum erit.

§. II.

Remuneratoriam dicunt, eam liberalitatem, quam propter bene merita nobis praestita in merentem conferimus: eamque deprehendunt remuneratoriam largitionem apud PAPINIANVM in L. 27. ff. de donat. et PAVLVM in L. 34. §. 1. ff. eod. Qualia vero merita ad remuneratoriam requiruntur, BOEHMERVS in Pandet. L. XXXIX. Tit. V. §. 18. definiuit. Requirit ea, quae praestatione pecuniaria alias exaequare soleant merita, haud vero vulgaria officia admittenda censem. Quod si itaque liberalitate nostra compensamus alteri singulare illa officia nobis praestita, quibus nostram gratitudinis significationem per liberalitatem collatam promeritus est, iura quoque hanc liberalitatem diuersam esse voluerunt, ab ea donatione, ad quam conferendam nullis meritis praestitis incitamus. Notat GYPHANIVS in Lectur. Aliorub. ad Tt Digest. de donat. p. 168. Glossatores, qui de remuneratoria donatione tractant. Ait: *Glossographi de REMUNERATORIA DONATIONE late et valde confuse suo more agunt et pleraque adferunt, non legibus aut rationibus, sed opinionibus tantum et allegationibus barbaricis confirmata.* Sed nondum constitui iudicium, an ipse Gyphanus ab hac Glossographis facta imputatione immunis pronunciari possit. Sed hoc deinde forsitan agamus.

§. III.

Cum ab antiquioris et liberae reipublicae temporibus scilicet a lege Cincia usque ad imperium Iustiniani legisla-

gislatores donationum curam habuerint, ut docuit BRVM-
MERVS in elegantissimo *commentario ad Legem Cinciam*,
quem non transscribo, neque Imperator Iustinianus inta-
ctam hanc reliquit materiam, potius ipsem ciuitum bo-
nis et eorum frugaliori conseruationi prospexit accuratius,
cum in L. 33. et 36. C. de donationib. constitueret, ut dona-
tiones, quae summam D. Solidorum excederent insinuen-
tur, atque si insinuatae haud sint, ad eam tantum lege de-
finitam summam valeant. Haec nota satis! Sed hacc
ipsa Iustinianei Iuris dispositio causam dedit controversiae:
*An et remuneratoria donatio, si quingentos solidos excedat, insi-
nuatione egeat, atque si insinuata haud sit, ad legitimam tan-
tum quantitatem valeat.*

§. IV.

Communem si sequi velimus sententiam, nihil cer-
tius atque constantius adserendum foret, quam ea opinio,
qua necessitatem negemus insinuationis. Catalogum scri-
berem, si omnium nomina, qui vnamini consensu adfir-
mant, remuneratoria donationem valere absque insi-
nuatione facta, adscribere placeret. Satis sit, quosdam
appellare, quo eorum argumenta examinare queamus.
Ipse, quem supra nominauimus GYPHANIVS in Lectur.
Altorph. c. 1 inter singularia remuneratoriae donationis
refert quoque immunitatem ab insinuatione. Franc.
HOTMANN in Consil. LXXII. n. 24. ita scribit: *Donatio
ista inter Nicolaum et Guidonem est remuneratoria et recipro-
ca: remuneratoria autem donatio insinuatione non indiget. p.
Auth. Eo decursum. C. de donat ante nupt. et L. vlt. ad prin-
cip. C. de iur. dot. Eo accedit auctoritas Io. Fabri, magni et
Iurisconsulti et Pragmatici, qui in L. i. C. de inoffic. dona-
tia scribit: Quod si duo dederunt ad inuicem bona sua, videli-
cet praemoriens superstiri, videtur magis venditio quam dona-*



rio, ad instar illius, qui vendidit iactum retis. quam Fabri sententiam laudat et probat Guid. Papa in singul. 878. Accedit praeterea autoritas Barthol. Socini in Consil. 86. n. 9. et 10. Vol. 1. Neque dissentit omnino BACHOVIVS ad Treutlerum Vol. II. disp. XIX. Thes. 2. lit A. quamuis si eam rationem, qua Treutlerum corrigit et reprehendit, accurate perspicimus, ipse ambiguus quodammodo videatur. Sed quid iuuat adscribere autoritates, cum iis pugnandum non sit. Magis ergo probationes ex LL. videamus.

§. V.

Prouocant omnes ad L. vlt. C. de iur. dot. Statuerat in h. c. Imperator Iustinianus de dotibus pro mulieribus datis sive a matribus, sive a cognatis, sive ab extra-neis, h. e. ab iis, quibus dotandi nulla necessitas, et cum iuris ambages recensuisset pergit: *Sancimus itaque in omnibus huiusmodi casibus nullis monumentis rem indigere, sed in omni persona raras esse huiusmodi donationes: et mulierem ipsam dotem suam habere (cum fortuitus casus hoc lucrum ei addiderit) et firmiter hoc apud eam permanere, nisi ipse, qui ab initio dotem dedit, sibi dari in huiusmodi casum stipulatus sit. caet.* Dein de ante nuptias donatione pergit et quae prius de fortuito casus lucro acquirendo statuerat, ad eandem applicat. Sed sane hic Oedipo opus, qui ex hoc capite largitionem remuneratoriam interpretando exhibeat. Et quem fugit dotium causas semper favorabiles fuisse, ut ab donata dote aduentitia illa ad donationes remuneratorias haud argumentum duci possit. Et quid probabunt verba: *Simili quoque modo, si quis extraneorum (id est, qui eum, pro quo dat, non in potestate habet) pro alio ante nuptias donationem nuptiae mulieri dederit, et NECESSARIA MONVMENTA ADHIBERIT, CVM EXCEDAT SVM-*

SUMMAM LEGITIMAM DONATIO caet. Haec sane, magis probabunt contrarium, scil. insinuandam fore, si summam D. Solidorum excedat. Ergo ex hac lege plane nihil probatur de immunitate ab insinuatione, quam ex communi opinione remuneratoriae donationi tribuunt. Neque intentio quidem Imperatoris est immunitatem donationi scribere, sed de lucro nuptiali mulieri conferuando, ne indotata postea efficiatur.

§. VI.

Neque maioris ponderis erit probatio ex Auth. Eo cursus. C. de donat. antenupr. Constat enim, Authenticas illas probare, si cum Authentico suo conspirent. Iam cum illa desunta sit ex NOVELLA CXIX. cap. i. ipsum magis ad scribamus caput, quo rectius judicare queamus, an ad praesentem quaestioneum probatio faciat. Ita ipsa Nouella: *Sponsalitiam largitionem contraictum specialem esse, et iudicari, et non ALIIS DONATIONIBVS eam commumerari, per praesentem sancimus legem, quoniam pro ea aequalitas dotis offertur.* Siue igitur fiat sub gestis monumentorum eius insinuatio, siue etiam non: iubemus eam per omnia suum robur habere, tam apud mulierem, quam apud virum, siue ab ipso viro, siue ab altero aliquo mulieri detur seu conscribatur, vel in viri personam donatio fiat, quatenus ipsas res in nuptiale donationem conscribat. et hoc valere praecepimus cuiuscunque sit donationis quantitatis; vel si non (sicut dictum est) insinuetur. Nihil hic de remuneratoria donatione exempta ab insinuandi necessitate. Si etiam sponsalitiam largitionem ad remuneratoriam referre velimus, tamen philosophi docuere a specie ad genus et ad diuersam speciem argumentum duci haud posse. Cum enim in fauorem coniugum immunem pronunciet Imperator donationem propter nuptias ab insinuandi necessitate, ergo sit immunis



quoque omnis remuneratoria donatio? Sane nemo praeter Glossatorem ita iudicabit.

§. VII.

Aliud argumentum GYPHANIVS cit. loc. adducit ex L. 34. §. 1. ff. de donat. Scriperat PAVLVS: *Si quis aliquem a latrunculis vel hostibus eripuit, ei aliquid pro eo accipiat: haec donatio irreuocabilis est, non merces eximiū laboris appellanda est: quod contemplationis salutis certo modo aestimari non placuit.* Quicquid etiam Gyphanius disputet, tamen nunquam probabit ex hac lege donationem remuneratoriam immunem esse ab insinuatione. Sicut lex ipsa nihil de immoda donatione dicit, neque ex fragmentis in *Recept. Sent. L. V. Tit. XI. §. vii.* emendanda, ita nunquam recte concludi potest, dato etiam hoc, immodicam donationem remuneratoriam reuocari non posse ex iusta causa ingratitudinis, eandem si ultra summam quingentorum solidorum, non egere insinuatione. Paulus enim sine dubio tempore Alexandri seueri nondum cogitauerat de necessitate insinuationis post ea tempora inuentae et sanctae.

§. VIII.

Quae cum ita sint, procluuior sim necesse est in eam opinionem, ut hanc in remuneratoria donatione negem exemptionem a necessitate insinandi, si modum excedat, vel quod desit iusta legis autoritas, cum potius verba L. 36. §. 3. C. de donat. *Caeteris etiam donationibus, quae gestis interuenientibus minime sunt insinatae, SINE ALIQUA DISTINCTIONE usque ad quingentos solidos valituris, caet. suadeant contrarium.* Praeterea cum insinatio introducta videatur, ne immodicis largitionibus donantes semet ipsos spolient, quis in remuneratoria negabit excessus liberalitatis. Et cum remuneratoria bene merita exigat, eaque probanda cum facti sunt, si summam excedat, insinandi necessitatem haec ipsa probatio suadet.

T A N T V M .

VD18


ULB Halle
007 208 200

3



B.I.G.

Farbkarte #13



8826

1770, 18.

QVAESTIO
IVRIS CONTROVERSI

A N

D O N A T I O

REMVNERATORIA VLTRA D. SO-
LIDOS INSINVANDA SIT

Q V A M

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

P R A E S I D E

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITER. DVISBURG.

SOCIO

I N A V D I T O R I O P E T R I N O

DIE XXI. SEPTEMBR. ANNO CICCIICCLXX.

DEFENDET

ALBERTVS GVILHELMVS AVG. BECKER

ROSLA THVRING.

L I P S I A E
L I T E R I S R V M P F I I S.

